


tione fuisse septentrionale, jam causam hanc tecum habeo communem; quomodo igitur succedentibus diebus post primam apparitionem potuerit (voce Italica, ut apparet) *avvicinarsi a la spica*; annon legendum Arcturo, aut si legendum Spicae, quo igitur sensu hoc? Nec enim, cum peterem, ut dares quae posui, hoc me posuisse innuere volui, legendum esse Arcturo pro Spica, sed locutus sum de positionibus mei theorematis 21, quae sunt omnino possibiles, saltem geometricae, quoad lineae situm et trajectionis lentitudinem. Quae sunt igitur argumenta mea, quibus initialem cometae latitudinem evinco septentrionalem fuisse? Erat, inquit observator, sub Libra cum stellis Virginis, donec advicinaret Spicae. Priusquam Spicae quocunque sensu approximeret, cum stellis erat Virginis. Jam vero omnes omnino sideris hujus stellae sunt boreales, excepta Spica et una vicina magn. 6, apud quas nondum erat cometa initio. Erat igitur initio cum stellis borealibus, borealis et ipse. Haecine sedit plaga? Accipe graviorem. Cum Sol in ecliptica incedat, cauda cometae in Solis tendatur oppositum: non utique poterit nisi in austrum tendi, si caput australe, nec nisi in boream, si boreale. Jam vero cauda ferebatur ad capita Geminorum, quae sunt borealia multum, caput igitur et ipsum boreale in principio apparitionis. Sane neque videtur omissurus fuisse observator annotationem hanc, quo loco signi Librae cometa zodiacum transiverit, si transivisset ac non potius initio statim in boream declinasset. Mirum etiam, observatorem meminisse crurum Bootis, inter quae transiverat cometa, nec meminisse Arcturi, eodem tractu occurrentis. Sed hoc levius est pertinetque solummodo ad conjecturam de hallucinatione aut sphalmate ventilandam. Cum igitur nec affirmet observator, cometam ex australi hemisphaerio ruisse, et argumentis evidentibus comprobetur, fuisse statim initio borealem, nulla necessitas nos urget, plus ejus motui tribuere in orbita sub fixis quam semicirculum. Nondum igitur expugnata est trajectoria recta, sed confirmatur evidentissime motu tam initii quam finis tardissimo, medio vero velocissimo, cauda longissima.

Fig. 1.



Sit A Terra, BC planum eclipticae, FE trajectoria, secans planum eclipticae in D et divisa in trajectiones diurnas longitudine aequales.

Sed missis erraticis hisce sideribus, quae dudum disparuerunt, ad aeterna nostra revertamur. Ea, quae haec sequuntur: calculus eclipseos a. 1621, Longomontani Astronomia Danica taxata, hypothesis Lunae reformata, Canones Pueriles etc. leguntur in praefatione ad Epitomen Astronomiae (vol. VI. p. 33 ss.) et in praefatione ad Can. Puer. (vol. IV. p. 173.). Fine literarum redit Keplerus ad cometam his verbis: Cometica (Crügeri dicit libellum) censura mea non indigent. Video sudum demonstrationum mathematicarum Solem sine nebulis, video et hominis et scripti ingenium mathematicae certitudinis capax. Spicas tamen aliquas passim et inde legerem, si tempus ferret. Hoc unum incidit: de lapide ad *αἴλος ποταμούς* verba sunt Aristotelis, ni fallor, ista: *ὑπο πνεύματος ἐξαρθεις προτερον*, quae verba et ipse olim de vento intellexi et risi. Quis unquam ventus, non saxum dico, sed